

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae
et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. II. h. ai. pg. 276—283.)

Die 1. Maji 1743 obiit Viennae Archiducissa Austriae Maria Magdalena, Leopoldi I. Caesaris filia anno aetatis ss. sepulta apud Capucinos in Caesarea sepultura Viennae, 4. Maji. Cardinalis de Lamberg Passaviensis Episcopus, hic per Danubium transit, et in Grein prius Confirmationis Sacramentum hominibus contulit, et 20. Maji pridie sub vesperam venit Mellicium, in Ecclesia parochiali multis idem Confirmationis Sacramentum impertivit, quos inter unus erat civis Mellicensis septuagenarius; post meridiem ad populum catechesim habuit, et postera die inde recepit. Circa hoc tempus clerus uterque Reginae nostrae decimas Ecclesiasticas, concedente Summo Pontifice, solvere jussus est. Similiter die Vermögens Steuer omnibus ecclesiasticis et laicis habentibus bona immobilia, capitalia, domus etc fructifera pecuniarum, imposita est, ita ut decima pars horum bonorum Reginae ob graves belli necessitates contribuat sub gravi poena, exceptis solum rusticis, et pauperibus incolis, vulgo Innleute. Edictum de hoc prodiit 23. Aprilis 1743. Certum etiam est, quod Regina jussit Parochos Bavaros in Austria per Sequestros ita gravari, ut ad singulorum sustentationem tantum 300 florenos eis permiserit, reliqua, ut vina, pecuniae etc sequestrata fuere per commissarios, ad eos missos, uti factum in Loiben, Spitz, Edelfhof, Aspach, Weitten, Ebersdorf aliisque in locis. Id factum per modum repressalium, cum Dux Bavariae primum hoc anno 1743 cum subditis nostrae Reginae in Tirolis Bavaria et parochiis ad Passaviensem Dioecesim pertinentibus ita violenter egerit. Dolenter admodum id tulere Parochi Bavari in Austria nostra.

E novis Gallicis: Galli urbem Egreensem cum 14000 petunt, et loci hujus praesidium 1000 militum inde tollunt, alio novo illi imposito 2500, et victualibus muniunt. Id factum 19. Aprilis. Nostri primum habentes duas legiones equitum se illis opponunt, sed hostium numero victi inde recedunt, aliae quoque turmae nostrates a longe hostes usque in introitum in urbem observarunt. Porro Galli in Bavariam redeunt cum veteri praesidio Stadt am Hof. Ita nostra bloquada plurium septimanarum impedire non potuit, quin hostis succurrerit Egrae. Quod verum esse, etiam e novis Viennensibus potuit. Id sine dubio factum, quod noster exercitus Bohemicus hinc inde distractus per Palatinatum superiorem et Bohemiam fuerit, cum et duae legiones equitum cataphractorum. Pragam abire debuerint ad serviendum Reginae ibi existenti.

12. Maji venere Mellicium duo Officiales militares de exercitu nostro Bavarico, nuntiantes, caesos 10000 Bavarorum a nostris prope Braunau, ita quidem, ut tres Generales eorum scilicet Minucci, Preysing, et Gabrieli

cum 1500 capti a nostris fuerint, ceteri occisi, alii in Oenum fluvium praecipitati. Altera die litterae Passavio a D. Rosenzweig mercatore ad Stadlerum nostrum scriptae id confirmarunt cum addito, etiam ein Parthey Geher, Le Croix dictum, cum 300 Gallis a nostris captos. Eadem die Officialis iste, nomine Baro Stappel, General Adjutant Viennam cum 6 Postilionibus ingressus est, nuntians dictam victoriam Imperatrici. Novis Viennensibus adcurata relatio hujus proelii inserta fuit, cujus haec summa: Potior pars exercitus nostri in Majo Oenum transgressus in loco Griesbach se collegit, et versus exercitum Bavaricum, prope 10000 militum constantem, (Bavari volunt, fuisse tantum 5 vel 6000) die 9. Maji in omni silentio perexit, et eum totaliter profligavit, duce Carolo Lotharingico, et Comite de Khevenhiller, qui hostem a tergo, quod is minime sperabat, aggressi sunt. Capti sunt in eo a nostris Generalis Commendans exercitus, Comes Minuzzi, Generalis Gabrieli, qui lethaliter vulneratus fuit, et paulo post Passavii obiit, hic fuit, qui invito Episcopo Passaviensi hanc urbem et das Oberhaus vi occupavit, cui dixit Episcopus, ipsum non habiturum propterea fortunam, quod revera evenit juxta praedictionem Episcopi. Item Generalis Baro de Preysing, 3 Obriste, 1 Obristwachtmeister, 2 Majors, 7 Hauptleute, 14 Lieutenants, 4 Fähnrich, 17 Feldwebl, 7 Wachtmeister, 36 Corporal, 12 Gefreite, 14 Tambours, 3 Feldscherer 169 gemeine Soldaten capti, 5 Standart et 5 Stuck erepta, reliqui partim in Braunau fugientes per pontem, partim in Oeno misere submersi, ceteri in campo occisi, qui numero excedunt captos. Nos partim occisos, partim vulneratos 100, vel ut alia relatio habet; quod magis credo, 250 numeravimus. Minuzzi, Preysing, aliique Officiales primum Lincium, postea Welsium, demum Graecium in Styriam abducti fuere. Cadavera occisorum postea in Danubio apud nos visa sunt post aliquot dies. E novis Gallicis secundum relationem, Monachio scriptam, de proelio famoso prope Braunau narrant, quod noster Comes Khevenhiller ex improvise cum 18066, Bavaricum Generalem Minuzzi aggressus sit, quod Bavaricus peditatus mirabilia egerit, Austriacorum 3000 occidendo (en! mendacium,) et quod omni cum fortitudine certaverint (iterum hoc falsum) solique numero superiori nostrum cesserint, quod certum sit, eos longe pauciores, quam nos amisisse in hoc proelio, quod pars eorum in Braunau se receperit, partim, in fuga dispersa ad Ducem Sekendorf. Fatentur tamen, supradictos 3 Generales a nostris captos, cetera omnia tacent, nec numerum suorum occisorum aut captorum referunt.

E novis Viennensibus: Baro de Bernklau cum Comite Nadasti Duce Hussarorum eodem tempore oppidum Pfarrkirchen nocte occupat, et in eo milites Gallos 300 uno cum illo Partheygeher, La Croix, et Obristlieutenant Tillemont captivos facit. Nostri quoque capiunt urbem Stubenberg cum 180 ibi existentibus hostibus, item castrum Neudek cum duobus Lieutenant, et 30 hominibus. Alia relatio habet, quod in Neudek hostes se nostris opposuerint, quorum tamen ultra 60 vulnerati, reliqui ad 70 caesi fuere. Comes de Hohenems, qui 12000 e nostris cis Oenum

commendavit, Monasterium capit, et in eo existentes 84 hostes. Postera die noster exercitus Te deum laudamus in castris celebrat, et in Than pergit, ipsos Gallos aggressurus. E Tyrol: Croatae numero 3000 Bavariam invadunt in Majo, Duce den Obristen Lutwiz, rectius Fedlich, et arcem Auerburg post longam resistantiam capiunt, simulque ejus praesidium 133 vel 200 militum captivant. Unus Croata cum framea in manu 20 Dragoner diu persequitur; domos montanas, e quibus hostes in Croatas inculabantur, incendunt. Verbo in tres partes Bavariae nostri e Tyrol irrumpunt.

Ex iisdem novis Viennensibus: Regina nostra Pragae 12. Maji ab Episcopo Olomucensi, Principe de Liechtenstein, sollempnissime et cum summo Bohemorum gaudio fuit coronata, cum pridie a Statibus Regni homagium accepisset. Coronationi aderat Nuntius Apostolicus Prolucci, Legati Venetorum, et Hollandiae, item Regum Britanniae, Borussiae, et Poloniae. Paulo ante actum coronationis nuntius advenit, e Bavaria missus, de victoria a nostris de ipsis relata, et Reginae narrata, quae statim adhuc, ante actum coronationis Te Deum laudamus agi jussit, cum more suo adscribat omnia soli Deo, quod in ea maxime laudandum. 13. Maji ipsa die natali Reginae nostrae, qua ingressa est 27, aetatis annum, ipsa in aedes Lauretanas ante prandium ivit, et in reditu ad Palatium venit Generalis Luchese, missus e Bavaria cum confirmatione praedictae victoriae, et standartos aliquot pedibus Reginae substravit. 16. ipso festo S. Joannis Nepomuceni Regina devote inter fuit sacro cantato in Ecclesia Metropolitana, uti et pedes processioni de eodem Sancto praesens fuit, item processioni corporis Christi festo devotissime adstitit.

E Gallicis novis Olyssiponae scriptum, 20 Freimaurer ab inquisitionis tribunali captos fuisse, qui cum mysteria sui conventus et societatis prodere noluissent, in carceres inquisitionis conjecti sunt, sortem miseram habituri.

E novis Viennensibus: In Majo in Bavaria 200 Bavari nostros Hussaros impetunt, de quibus nostri 50 trucidant, et totidem capiunt, reliquos in fugam agunt. Nostri Burghausen ab hoste relictam occupant, fugientibus semper magis et magis hostibus.

28. Maji venerunt Mellicium Panduri numero ultra 300, Raizen vel Saustrom, quos ego ipse vidi, homines vultu et habitu feroces, ac sub nigro pergentes ad exercitum nostrum Bavaricum. Pridie hujus diei fui Ipsii, deportans cum nostro P. Placido, 25 aureos pro infirmis et sauciatis militibus ibidem in der Cassarm degentibus, quos apud me deposuit multo ante P. Superior Castrensis, Jesuita, nomine Jenig. Narravit mihi quidam frater ex Ordine S. Joannis de Deo, qui cum socio deputatus erat ad serviendum dictis militibus infirmis, quod Croatae infirmi et sauciati, quorum tunc 3 vel 4 ibidem erant et interfuerant proelio, 9. Maji apud Braunau commisso, sint singulariter pii, religiosi, admodum patientes, et invicem diligentes, ita ut ille Frater, nomine Rogatus, mihi ingenue dixerit si ille viveret, ut ipsi, se illico post mortem in coelum abiturum.

A tempore proelii apud Braunau habiti jam iterum bina nova Gallica et Germanica detenta sunt, probabiliter a Bavaris.

E novis Viennensibus: 13. Maji Rex Angliae Georgius II., iturus in suum Ducatum Hannoveranum, appulit feliciter in Hollandia, et quidem in loco dicto Helvoes-Schluys, et 17. Hannoveram venit sospes, et postea 20. Maji ejus filius secundus, Dux de Cumberland dictus Galli in Palatinatu ad Rhenum suos milites collocant in Heidelberg, Ladenburg, aliisque locis. Item urbes Imperiales Worms, Speyer et Frankendall suis militibus muniunt et occupant, etiam in der Bergstrass suos collocant, Anglos observaturi. Exercitus Anglico-Austriacus in confinia Francofordensia pervenit, et in Hochtiss, et in Comitatu Hannau castra locant. Nostri in Bavaria 17. Maji civitatem Dingelfing armata manu capiunt, partim incendunt, et partim diripiunt. Hostis, 6 vel 7000 militum habens, fugit, et magnum in fuga Magazinum exurit, nostri vicissim eandem ex parte civitatem flammis absumunt. Erat hic locus triplici Retrachement munitus, quae nostri Grenadiers et Croatae transcendunt, portas civitatis infringunt, eaque sic potiuntur, duce Comite de Daun. Quidquid in manus nostras incidit, caesum fuit, insuper ex fugientibus fere 300 occisi, et totidem in Isarum fluvium praecipitata, ex parte vero nostra 20 et aliquot partim caesi, partim vulnerati sunt. (In novis Gallicis dicitur Gallorum 700 hic desiderata, et 100 Officiers suos partim caesos partim vulneratos. At Austriacorum amissa fuisse 1400, praeter Officiers.) Post haec exercitus noster in Landau pergit, inde vero movet versus Osterhofen, cui se adjungere multae legiones Comites de Hohenems, quae ante stabant apud Braunau. Croatae arcem Hohenaschau obsident. Heilbrunna in Wirtenbergico Ducatu incendio flagrat.

18. Maji Princeps Carolus Dux exercitus nostri in Bavaria cepit Landau, civitatem in Bavaria, obsessam a Gallis, qui oblatum sibi honorabilem discessum noluerunt acceptare, sed ipsa nocte per pontem super Isaram fugientes, ipsa die civitatem inferiorem incenderunt, et nostri similiter alteram ignibus vincunt, atque sic tota urbs praeter paucas domos conflagravit, cum summa mostitia Bavarorum. Inveni et conservati tantum 1000 sacci farinae, quos princeps noster ex misericordia Landauviensibus pauperibus distribuit.

30. Maji in Prioratu nobis P. Prior exposuit, Summum Pontificem Benedictum XIV. nostro Monasterio concessisse indulgentias plenarias pro animabus in Purgatorio detentis in Altari si P. N. Benedicti in Ecclesia nostra pro diebus singulis in perpetuum, et non tantum nostris Mellicensibus, sed omnibus, etiam extraneis, sacerdotibus, idque propter communicationem privilegiorum Cassinensis Monasterii in spiritualibus, in Altari S. Colomanni manente privilegio. Item feria 3. Pentecostes, et Festo S. Colomanni indulgentiae plenariae concessae ab eodem Papa.

4. Junii feria 3. Pentecostes habitum apud nos Te Deum laudamus ob victoriam nostris apud Braunau concessam. Eadem die sub vesperam ad oppidum Mellicense venit der H. Oberst Menzl, cui, postquam adventum

suum Monasterio nuntiavit, jussu D. Ábbatis (quem ille dominum suum collegam appellavit) missus est currus ad oppidum. Noster conventus recte habuit tunc exitum in vineam, et ejus audito futuro adventu ad nos, major pars conventus ipsum videndi studio stans permansit apud Januam Monasterii, cumque jam per montem ad nos ascenderet, visis nobis, quos forte putavit, se honoris causa expectaturos, longe infra nos de curru cum suis descendit, et a nobis humanissime salutatus est et a P. nostro Rainero solo usque ad Abbatem perductus fuit et ad Priorem nostrum Vitalem, quem et ipse pro amore amplexus est. Coenavit apud Abbatem, apud quem etiam tunc Praepositus in Waldhausen, et Abbas in Seisenstein fuerunt, finitaque coena mox cum duobus curribus per Postam eadem nocte hinc ad exercitum in Bavariam discessit. Quidam famulus ejus nobis dixit, ipsum Menzlium 5000 Rasciis praefuturum, et sub inde einer Freicompagnie per 300. E novis Viennensibus: Noster exercitus in Bavaria Danubium transit, et apud Monasterium Niedertach subsistit, relictis interim praesidiis in Dingelfing, et Unter-Phöring ad observandos Gallorum motus penes Isaram. Bavari e Branau in navibus eruptionem in nos faciunt, suumque destructum pontem reparant, captis, ut ex alia relatione scripta constat, 200 Croatis, et nostris in succursum missi 800 Rascii equites. Sub idem ferme tempus equi permulti et apparatus stabularis Principis Caroli Lotharingici, igne, ut praesumitur, ab exploratoribus hostilibus subjecto, cum magno damno in Osterhofen absumpti, valore ultra 3000 fl. Bavari Wasserburgum relinquunt, simulque 6 tormenta, et magnum farinae apparatus, quem locum Generalis Nadasti cum suis Hussaris occupat. Die 27. Generalis Comes de Broune cum 16 Grenadiers Compagnien, 5 Batallionen, 800 Croatis, 100 Rasciis, et Lyccanis, a Comite Petazzi, et Obrist Lieutenant Trangipani ductis, ac 22 tormentis bellicis Dekendorffium a Galis insessum aggreditur, et mit stürmender Hand capit, superatis 7 Retraschementis. Nostri oppugnantes hunc locum erant numero 3000. Galli per pontem in alteram Danubii partem fugiunt, qui creduntur in civitate fuisse ad 3000, juxta aliam relationem 6000, quorum dux erat Princeps de Conti. Hostium 200 caesi, et vulnerati, et pene 100 capti. Alia relatio et quidem posterior habet, ex hostibus captos 5 Officiers et 130 Gemeine, universim eorum occisos et vulneratos fuisse ad 600. E nostris desiderati 100, tum vulneratitum caesi. Nostri Gallici Principis de Conti totum Bagage, cum equis et servitio mensali argenteo ceperunt, quae tamen Princeps Carolus Lotharingicus, cum Dux ille de Conti obtulisset, se pecunia ea velle redimere, ei gratis ex generositate remisit. Hostis in fuga civitatem hanc, uti Dingelfing et Landau incendit pro dolor, qui tamen venit in auxilium Bavariae. Item arx parva, Eck dicta, capta a nostris, una cum 30 Militibus, et uno Lieutenant. Item rustici Bavarici unum Hussarorum locum tenentem a Principe nostro Carolo cum litteris alio missum globo trajiciunt, et litteras auferunt.

26. Maji Generalis Nadasti apud Dorfen 1600 equites Bavaricos invadit, et usque in Landshut fugat, et ex iis captivos facit 2 Oberste,

1 Major, 2 Hauptleute, 3 Lieutenant, 4 Cornet etc. Summa 301 cum 200 equitibus. Hi Officiales im Styriam, Graecium, gregarii in Hungariam abducti sunt. Bavari dicunt in Dorfen tantum fuisse 600, et Ferrari captum, et 2 Officiers ex iis vulneratos; occisos, vulneratos et dispersos 100. In posteriori relatione haec pugna accidisse dicitur 24. Maji cum 600 equitibus cataphractis Bavaricis, et quod a nostris eorum ductor, seu Oberste, Potil cum Ferrari, uno Major et 10 Oberofficiers aliisque capti fuerint, ex parte hostis dicuntur 200 occisi, ex parte nostra non supra 20 vulnerati et occisi. Huic pugnae interfuerunt etiam Lyccani. Idem Nadasti ex Tyroli 6000 Croatis auctus fuit. Bavarici Officiers, et quidam nostri desertores metu suspendii effugerunt.

Galli Platling apud Iseram deserunt, et in Palatinatu superiori, ubi fruges in optimo flore existebant, maximo hominum damno demetunt omnia apud Schwandorf et vicina loca. E novis Gallicis de Dresdena scriptis dictum, Regem Poloniae adhaesurum Duci Bavariae, et rursus praetensionem suam in Austriacas provincias velle renovare, atque Bohemiam invadere. Sed nulla haec confirmatio in novis Gallicis, purum igitur mendacium. Ex iisdem novis Gallicis Batavi omnes tandem consentiunt in 20000 militum succursum pro Regina nostra in auxilium ejus, et quo voluerit ipsa, ut eant, quod etiam confirmatum fuit in novis Viennensibus. Eorum milites in Belgii Austriaci urbes munitas intrant. Angli cum Hannoveranis, uti et Austriacus noster exercitus circa Francofurtum, et in vicinia sese collocarunt. E novis Viennensibus: 1. Junii in Bavaria apud exercitum nostrum 500 Maroscher Gränzer adveniunt. Comes noster de Broune cum Grenadiris, Croatis, Lyccanis etc ultra Deggendorf usque Bogen vadit, et apud Straubingam et Oberaltach Gallos infestat, et eorum quosdam capit. Der Partheygänger Ferrari, qui a nobis defecit, et ad Bavaros transiit captus, ut supra dictum, fortasse poena capitis mulctabitur. In Palatinatu superiori Generalis Stahrenberg noster invasit eine französische Freicompagnie per 115 militum stratagemate, et ex ea 4 Officiales cum famoso Partheygeber Jacob captivavit, reliquos omnes interfecit. Factum id in Majo.

8. Junii. Cursor publicus Viennam veniens nuntiavit, advenientibus nostris militibus a Gallis civitatem Stadt am Hof contra Ratisbonam desertam, absque ulla resistantia, Nova Ratisbonensia habent, quod omnes Galli existentes in der Stadt am Hof in vigilia Pentecostes, i. e. 1. Junii inde per pontem in Wein super Danubium fugerint, post quos ipso festo Pentecostes scilicet 2. Junii noster exercitus sub Principe Lobkowitz dictam urbem occupavit, statimque cum exercitu in Wein abiit, eamque arcem oppugnavit, ubi pars exercitus Gallici sub Comite de Saxonia rediens per Danubium nostris occurrit, paratus ad pugnam. E novis Viennensibus, scriptis e castris nostris, apud Irlbach in Bavaria: 6. Junii nostri in Bavaria castra Gallorum, cis Iseram contra Deggendorffium posita, 22 tormentis bellicis oppugnant, eosque e suis operibus fugere cogunt, postea Danubio transmissio. Grenadirii, Croatae et Hussari Gallos impetunt, eosque e castris

suis pellunt, ubi multae et pretiosae praedae a nostris factae, inter quas numerantur impedimenta Comitis de Clermont et junioris Ducis de Broglie. Ex hostibus 300 capti, caesi vero ad 600, de nostrorum jactura nihil memoratum, captum quoque oppidum Platling, munitum a Gallis, ubi iacebant Galli, atque ita a nobis Isera et Danubius magna ex parte occupati. Landshutum quoque a nostris occupatum, et Comes de Sekendorf cum suis Bavaris Ingolstadium celeriter abit, quod et Galli fecerunt. Praemittuntur a nostro exercitu 4000 in Straubing, cujus suburbia occupant, quin e civitate ullum in eos tormentum explosum, et cum a nostris dedi peteretur, responsum est, cum totus exercitus adfuerit, ea de re agendum, quod credere facit, urbem se nostris absque impugnatione dediturum sponte. Interim Bavari fassi sunt, se pejus a Gallis, quam a nostris haberi, optareque se, quamprimum a Gallis liberari. Post adventum nostri exercitus locus hic fuit undique interclusus, et noster exercitus hostem usque Ingolstadium celeriter persequitur.

E novis Gallicis Monachio scriptis, et in Viennensibus praetermissis: Panduri et Croatae e Tyroli egressi in Rosenheim a Bavaris oppressi sunt, quorum quidam occisi, 150 vero capti, et Monachium ducti, inde Ingolstadium. Id verum fuisse postea Diarium Viennense testatur, quod addit, quod Bavarorum 100 mortui et vulnerati fuerint, nostri tamen Croatae se ipsis utpote 4000 fortibus dedere debuerint. Francofurtum scriptum, Anglos prope Francofurtum e castris suis per pontem super Moenum egressos, et nunc castra metatos in Kelterspach, Hannoveranos vero idem fecisse, et nunc morari in Schwanheim, quibus se conjungunt nostri Austriaci, et e Belgio cum iis egressi, ceterae turmae Angliae jubentur a Rege accelerare adventum suum. E novis Viennensibus: Fuga Bavarorum Augustam et Ratisbonam incredibilis ob nostri exercitus approximationem et obtentas victorias post Brunoviense proelium. Generalis de Bernklau iterum Monachium occupat, absque ulla civium resistantia, qui etiam pontem super Iseram a militibus Bavaricis inde fuga dilapsis incensum reparant, ut nostri tanto commodius urbem intrent; totus quoque urbis Magistratus cum oblatis urbis clavibus obviam venit nostro duci Bernklau, cumque pulchro ordine intrantem in urbem comitatur, in qua multa annonam nostri reperere. Carolus VII Dux Bavariae duobus ante diebus cum sua familia Augustam fugit, relicta sola vidua Ferdinandi Ducis Bavariae, quae a nostris optime habetur, nec tamen diu Augustae subsistens, denuo Francofurtum ad conjugem suam abiit et 28. Junii ibi advenit. Id factum 8. Junii. Ceterum prius se dedidere nostris Landshuta, Wasserburgum, et Rosenheim, uti et Amberga in Palatinatu superiori, fugientibus inde Gallis, et in ea 500 suis infirmis relictis, atque ita nostri toto Palatinatu superiori potiti sunt. Deo gratias. Galli magno numero deserunt suos in Palatinatu inferiori, et unus Capitaneus semel cum 50 desertoribus ad castra Hannoveranorum venit. Galli ex Platling fugientes a nobis caesi Straubingam intrare volunt, sed ab introitu a Bavaris excluduntur. Viennam advenit legio selectissima Hussarorum e Transylvania, numero 1000 militum, et in Bavariam

pergit. In novis passim celebrati sunt milites Anglicani ob eorum praestantiam, pulchritudinem, ordinem et disciplinam.

E Francofurto scriptum, a nostris Gallos verius gejagt als getrieben zu werden videri, iis a facie nostra undique magno cum terrore et metu fugientibus Ingolstadium et ultra, idque sub Comite de Saxonia die 7. Junii, quos secutus est Mareschallus de Broglio cum suo exercitu, nona ejusdem. Passavio scriptum per modum Diarii in novis Viennensibus: General de Fin missus a Principe Lobkowiz cum magno corpore Kelheimium, hunc locum feliciter occupat, fugientibus inde turpiter Gallis, qui cum valde munierunt, nobis relicta multa annona. Die nona Princeps Carolus Lotharingicus nostro cum exercitu ex Irlbach in Straubing pergit, inde die 10 venit in Sinching, altera die in Schierling, ubi nuntium allatum, a nostris civitatem Neustadt occupatam. Lobkowizius noster apud Closterort 400 Gallos invadit, partim eos occidet, partim in Danubium praecipitat, ibique 200 Lastwägen adimit hostibus.

21. Junii. Lincio per aquam Mellicium venit quidam noster Officier asserens, nos Fridbergam civitatem cepisse, et ab hostibus 16. vexilla. E novis Viennensibus: Exercitus noster in Bavaria die 13. Junii ex Schierling in Rot Monasterium pergit, et interea comes de Bernklau cum suis copiis detinet in itinere Mareschallum Broglio, pergentem Ingolstadium cum suo exercitu, spatio septem horarum, et 14. noster exercitus venit in Siegenburg, venientibus ad nos hac die et prioribus multis desertoribus Gallicis; 15. venit in Geisenfeld. Galli dicuntur se munitores prope Donawerdam in Schellenberg, expectantes a suis succursum. 13. Junii Comes Nadasti civitatem Friedberg prope Augustam capit, et in ea prasidium Bavaricum et Gallicum, constans gregariis 1276, et 83 Officialibus, captivos belli facit, acceptis insuper 15 vexillis, et uno Standart Gallico, cum una Esquadron Gallica illis adjuncta. Nostrorum erant 1200, partim equites, Hussari, Warasдини, et Lyccani. Insuper Commendans civitatis fugere volens Augustam in itinere a nostris captus est, nomine Baro de Seiberstorf. Hic laetus nuntius primum allatus est Reginae nostrae Lincii existenti una cum vexillis, 4 postilionibus praecedentibus, et postea Viennam totidem postilionibus, in credibili Lincensium gaudio et tripudio. Item copiae Anglicae cum Gallis varias parvi momenti velitationes habuere, et ut dictum in novis Gallicis, Moenum iterum transiere retro repetentes priora castra sua.

In novis Gallicis Praga scriptis dicitur: qu' un habile Minister etranger, a pris a tache d' examiner le caratere de sa Maieste la Reine de Hongrie, et Boheme ex a fait le Portait suivant, cette Princesse surpasse son sexe et la notre. Les vertus de l'un et de l'autre se recontrent ex sa Personne. Elle est prudente dans ses resolutions, constante et magnanime dans ses projects. Elle attire l'amour de ses sujets, l'affection de ses amis et fait l'admiration de ses ennemis. Son ame est sans orgueil, son coeur sans finesse l'est une Dame sans passion, une Reine sans injustice, et elle mele parfaitement les graces de son sexe avec la grandeur d'ame des

Rois. Haec defensio ejus facta est, dum esset Pragae nostra Regina. E novis Viennensibus, Gallos apud Ingolstadium haerere, ibique se undique munire, arcem vero ejus a solis Bavaris numero 100 teneri; Sekendorfium vero cum suis Bavaris versus Danubium et quidem prope Augustam Vindelicorum se recepisse. Bavari a Braunau irruptionem in nostros faciunt, sed retro ire compelluntur, eorum 104 occisis, et 80 vulneratis; nos autem 5 occisos numeravimus cum 15 vulneratis. Princeps Lobkowiz cum Carolo Principe Lotharingico feliciter se conjunxit. 8 Junii Galli subito, et cum maximo incolarum metu et confusione relinquunt Ambergam Metropolim Palatinatus superioris, quam per totam hyemem praemunitam reddiderunt, insuper suam annonam in 1000 Centner Reiss, et carnes salsas Ambergensibus distribuunt, pulverem nitrium vero, globulos, Bomben et Granaten et apothecam, centum millibus florenorum valentem, in profluentem Vils nomine coniciunt, et parva sua selopeta destruuunt. Haec postea a nobis occupata fuit. Hunc inopinatum Gallorum discessum quidam ex Amberga suo amico scripsit.

(Continatur.)

Veränderungen im Personalstande des Benedictiner- und Cistercienser-Ordens

vom 1. März 1887 bis 3. Juni 1888.

Mitgetheilt von P. Florian Kinnast, O. S. B. in Admont.

Die folgenden Mittheilungen können weder auf Vollständigkeit noch auf Richtigkeit Anspruch machen, denn ein grosser Theil derselben stammt nicht aus Original-Mittheilungen, sondern musste mühsam aus den verschiedensten Blättern zusammengetragen werden, welcher Umstand allfällige Fehler zu entschuldigen im Stande ist. Die Vermehrung des Stoffes möge den guten Willen zeigen, die Bewegung in den beiden hl. Orden dem Leser der »Studien und Mittheilungen,« welcher sich überhaupt dafür interessirt — in der folgenden Zusammenstellung vor Augen zu führen. — Es kann daher die Bitte um regere Berichterstattung nicht oft genug wiederholt werden; jede noch so geringfügig erscheinende Notiz wird mit Dank angenommen und verwerthet; eine einfache Correspondenzkarte thut sicher ihre Schuldigkeit.

* * *

A. Benedictiner-Orden.

Admont. Eingekleidet: 25. VIII. 1887 Fr. Oswin (Ferdinand) Schlamadinger, gb. 24. VII. 1868 zu Wiener-Neustadt, Fr. Erich (Johann) Foglmüller, gb. 20. XI. 1867 zu Wien, Fr. Vitalis (Joseph) Huemann, gb. 6. III. 1867 zu St. Peter am Neuwald.

Einf. Prof.: 15. IX. 1887 Fr. Adalbero Roeck und Fr. Claudius Weixler, 21. X. 1887 Fr. Cornelius Koessler.

Feierl. Prof.: 2. IX. 1887 Fr. Benno Ritter v. Močnik, Fr. Roman Schmid, Fr. Humbert Senegowitsch, Fr. Isingrin Glatz, 19. X. 1887 Fr. Johannes Pavec.

Ordinirt: 13. XI. 1887 zu Priestern Fr. Benno R. v. Močnik, Fr. Roman Schmid, Fr. Humbert Senegowitsch, Fr. Johannes Pavec, 9. XI. 1887 zum Subdiacon Fr. Isingrin Glatz.